

Cultus autem Dei talis hic ponitur, qui sit & metus Dei: non qualis est hypocitarum, qui externa A specie ceremoniarum, vestibus, cantilenis, ac gestibus Deum non colunt, sed colere se fingunt ac mentiuntur: id quod ipsorum reliqua vita declarat. Qui nanque Deum verè colit, voluntatis simul illius obseruans est: & quoniam illum more filij metuit, à malo abstinet.

## PSALMVS LXVIII.

AD PRÆCINENDVM DAVIDIS, PSALMVS CANTICI.

## ARGUMENTVM PSALMI.

**E**X hoc Psalmo Apostolus testimonium citavit Ephes. 4. nempe versum 18. Hinc occasio sumpta est, referendi illum ad regnum Christi: nec præter rationem. Quis enim priorum non videt, in regno Davidis, ad quod Psalmi historia pertinet, typum suisse regni Christi? Iste ante omnia declarandus est, nisi ridiculè velimus illo neglecto confessum ad regni Christi irruere mysteria. Ad quam autem historiam gestorum Davidis pertineat hic Psalmus, non planè constat. Ebreorū quidam exponunt de percussione Sanherib, ante Ierusalem diuinitus per angelum tempore Ezechiae facta. At titulus meminit Davidis. Quidam ex nostris referunt ad ultimā victoriam Davidis, qua Ammonitas, Moabitas, Syros, Idumæos & Philistæos ita attriuit, ut tributa pendere coacti sint. Huius sententia occasionem sumpserunt ex versu 30. in quo tributorum fit mētio. Nemini volo praividicare, sed simpliciter quid mihi videatur, aperire. Totus Psalmus contextus, maximè illius initium, videtur opinione quoddam gratulatorium reserre, quod decantatum sit ante arcam Dei, cum illa magna totius Israëlis celebritate & exultatione Ierosolymam per Davidem ducatur, quæ historia 2. Sam. 6. & 1. Paral. 15. legitur. Non video historiam aliam, cui commodius posset hic Psalmus adaptari: quo circa ad illam respiciam, donec concinnius aliquid dicero.

VERS. I.



1. XVRGAT Deus, dispergat inimici eius: & fugiant osores eius à facie eius.  
 2. Sicut dispellitur fumus, dispellas: sicut liquefit cera à facie ignis, sic perant impi à facie Dei.  
 3. Et iusti lætentur, exultent coram Deo, tripudient præ gaudio.  
 4. Cantate Deo, psallite nomini eius, iter facite ei, qui nubibus inequitat, in lab nomen eius, & exultate coram eo,  
 5. Qui pater est orphanorum, & iudex viduarum, Deus in habitaculo sacrarum sui. B  
 6. Deus qui solitarios cum familia habitare facit, qui vincitos compedibus educit, veruntamen rebelles in terraarent iacent.

LECTIO.

Vers. 4.

Quin nubibus inequitat.] Ebr. לְרוּכָב בְּעַרְבָּתָה. Græc. & vulg. Lat. Qui ascendit super Occasum. Hieron. Ascendit per deserta. Iustin. Equitatem in cœlis. Pagnin. Qui ascendit super cœlos. Felix: Insidenti Haraboih. Symmachus: Sternite viam ei qui inequitat in terra inhabitabili. Camp. Extollite illum qui pro vehiculo viutur nubibus.

Vers. 5.

Qui pater est orphanorum.] Græc. & vulg. Lat. Turbabuntur à facie eius patris orphanorum.

Vers. 6.

Deus qui solitarios cum familia habitare facit.] Ebr. אֱלֹהִים מֶרְשִׁיב יְהִידִים בֵּיתָה. Græc. & vulg. Lat. Deus qui inhabitare facit unius moris in domo. Hieron. Deus inhabitare facit solitarios in domo. Felix: Deus habitare faciens unicos domum. Camp. Deus facit, vt qui paulò ante fuerant soli sine liberis. nunc habeant domum familia plenissimam. Illud, Veruntamen rebelles, &c. Græc. & vulg. Lat. sic legunt: Similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulchris. Hieron. Increduli autem habitauerunt in siccitatibus.

Vers. 1.

Exurgat Deus.] Numerorum 10. scribitur, quod cùm arca Dei à Leuitis ad proficiscendum leuatur, Moyses dixerit: Surge Domine, & dissipentur inimici tui, fugiant, qui oderunt te, à facie tua. Quæ verba in Ebræo planè cum isto primo versu discordant: nili quod illic est apostrophe ad Deum: & ubi hīc מִלְחָמָה habetur, illic מִלְחָמָה legitur. Consultò itaque Prophetæ & magna fide initium huic Psalmo, quem pro populi confortatione ante arcum decantari volebat, Mosi verba esse voluit: vt admoneret quosquis rerum, olim cùm ex Ægypto duceretur Israël, gestarum: & vt ad memoriam reuocaret, qui in arca ista populo suo pollicitus sit Deus, & quanta fide erga illam & reuerentia Moses, diuinæ promissionis gratia fuerit. Nec frustra id facit. Manserat enim iam ultra 60. annos ab eo tempore, quo sub Heli intercepta fuerat à Philistæis, & Israëlis paulò post redditæ, in Kiriatiharam neglecta. Nullam enim illius interea rationem habuerant, nec ante, nec in toto regno Saulis, de quo meminit ipse David 1. Paralip. 13. cùm statueret eam in ciuitatem Ierusalem reducere. Tantum scilicet mali est, si regnet homo impius & hypocrita. Non est autem putandum, quod arcum illam ex lignis structam loco Dei habuerint, coluerint, & inuocauerint Moses & David, aut fiduciam in illius præsentiam collocauerint. Nam id eidolatriæ confine fuisset. Omnis illorum fides verbo diuinæ promissionis nitebatur. Sciebant alioqui Deum, ne cœlo quidem, nedum arca illa comprehendendi posse. Verum quoniam in ea arca erat verbum diuinæ promissionis, illius gratia ita loquebantur, dicentes: Deum surgere, cùm leuaretur arca: redire ad exercitum Israëlis, cùm reduceretur arca: & transire per desertum, cùm transiret arca. David percutiebat in organis, & saltabat totis viribus ante Dominū: id est, arcam. Item, Michol vidit Davidem, cùm intraret arca Domini in ciuitatem, subsilientem atque saltanteum coram Domino. Item, Viuit Dominus, quia ludam ante Dominum, &c. Hic certè absqueulla contradictione, arca vocatur Dominus. Assuecamus & nos hoc pacto